



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

2. Augusti. Qui vel nobilitate generis, aut doctrinæ, ingeníve commendatione excellunt, ii, præ cæteris in sui abnegatione exercitati esse debent, aliàs graviùs nocituri, quàm ignobiles, & ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

Gravissimus hostis, qui non opes au-
fert, sed meritum ; vitam petit non
corporis, sed operis ; optima quæque cor-
rumpit ; & quod pessimum , adeò tacitè
nocet, ut mala sua vix sentiantur , & citiùs
ad animæ ruinam , quàm notitiam per-
veniat.

Hostis est acedia gravissimo peior. Pec-
catum vel ipso nomine horrorem creat.
Amatur acedia, quo fit, ut citiùs illud, quàm
hanc sequatur emendatio. Plures è cœno
peccatorum , quàm è teporis veterno ad
insignem sanctitatis gradum surrexerunt.

Fervor, & affectus pretium ponunt ope-
ribus. Sancta sunt, si sanctè tractentur ; eas-
dem, si levi manu , si oscitante corde agan-
tur, mala fiunt ; & iisdem, quibus præmium
poteramus, factis pœnam meremur.

Quantùm addis ad diligentiam, tantùm
Deo places. Væ repidis ! ut aqua nec frigi-
da satis, neque calida bilem, sic opus igna-
vum displicentiam cœlo movet.

2. Augusti.

*Qui vel nobilitate generis , aut doctrina,
ingenive commendatione excellunt , ii,
præ cæteris in sui abnegatione exercitati*

L

esse

esse debent, aliàs graviùs nocituri, quàm ignobiles, & ineruditi. S. Ignat. apud Bart. l. 4.

Magna ingenia magna minantur pericula, nisi virtutis imperio dirigantur. Gladius magis acutus vulnerat, & in plures desævit.

A grandibus ingeniis nihil mediocre expectandum, vel virtuti addicta sunt ex integro, vel insigniter insolescunt. Nec ab ullis respublica plùs accepit detrimenti, quàm ab insignibus ingeniis malè disciplinatis.

Nec in generis, nec in ingenii nobilitate quidquam est gloriæ, si virtute destituta se ad ignobilium sortem abjiciant. Plùs utraque ad contumeliam, quàm sui commendationem momenti affert.

Ubi grande ingenium, nulla sæpe ibi prudentia; quæ si desit, ut corpus oculis, currus aurigâ destitutus, quò? nisi ad precipitium properat. Mediocritas ingenii, ut plùs habet judicii, sic plùs spondet utilitatis.

3. Augusti.

Ut bonum, quod fit, omittatur, sæpius damnum